

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

Libellus de fortuna

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

ro est ita laboriosus & mutabilis & varius homo, vt se multis similem reddere atq; accommodare velit, ac non potius Theognidem rideat sic præcipientem:

Polypodis mentem Versuti sume, sub omni

Qui visu prabet se similem lapide.

Atqui polypodis mutationes non penetrant intro, sed in ipsa fiunt superficie, densitate & laxitate sua defluxum recipientem rerum vicinarum. Amicitia est mores, affectus, sermones, studia, & animi sensum exæquare. Protheus vero sit quidam infelix, neq; adeo bonus, qui subinde præstigiis quibusdam ex alio sese in alium transformet, legat cum litterarum studiosis, in arena sit cum palæstræ deditis, venetur cum venationem amantibus, cum ebriosis potet, cum ciuilibus comitia obeat, neq; proprios habet suarum actionum lares. Sicut autem philosophi naturam siue materiam formæ ac coloris experte, vt subiectum, sui mutationibus aiunt modo incendi, modo humectari, & alias in aerem dissolui, alias condensari: ita amicorum multitudini subiicere oportebit animum multiplicem, versatilem, mobilem, & facile mutabilem. Cæterum amicitia stabile requirit quippiam, & immutabile ingenium, quod eandem retineat consuetudinē. ideo rarus & inuentu difficilis est constans amicus.

PLVTARCHI LIBELLVS DE

Fortuna.



Itam regit fortuna, non sapientia,

dixit quidam, res humanas non consilij dextertate, sed fortuito dispensari sentiens. Quid ergo? neq; iusticia, neq; æqualitas, neq; temperantia, neq; modestia res humanas dirigunt? sed à fortuna & propter fortunam factum est vt in sua perseveraret Aristides paupertate, cum parare diuitias sibi posset? & Scipio Carthagine capta nihil prædæ neq; videret neq; acciperet? & Philocrates accepta à Philippo pecunia meretrices ac pisces emeret? Lasthenes & Euthyrcrates ventre ac rebus turpissimis meriti felicitatem, Olynthum perderent? Alexander Philippi F. captiuis mulieribus cum ipse abstineret, tum vim facientes puniret? Alexander autem Priami F. aduersa fortuna eo adactus est vt stuprum hospitis vxori offerret, eaque abducta

ducta duas continentes bello ac malis impleret? Hæc enim si fortunæ adscribuntur, quid impedit quo minus feles, hircos, simias dicamus fortuito esse gulosos, libidinosos, scuriles? Sin & aliqua temperantia, iustitia, fortitudo, quæ consentaneum est prudentiam, si prudentia, consilij dexteritate nullam esse? cum & temperantia dicatur quædam esse prudentia, & iustitia præsentem requirar prudentiam. Immo prudentiam qua adhibita circa voluptates officium tuemur, continentia & temperantia nomine afficimus: eandemq; in periculis & laboribus tolerantiam ac fortitudinem, in contractibus & rebus publicis æquitatem iusticiam que vocantur. Vnde fit, vt si fortunæ imputamus quæ consilij dexteritate præstantur, eidem etiam iustitiæ & temperantia opera sint imputanda: & furari me hercle, & marsupia defecare, & lasciuire, fortunæ acceptum feretur. denique nostris ratiocinationibus valere iussis, fortunæ totos nos irrademus, quasi vento quodam instar pulueris aut quisquiliarum exagritos atque dissipatos. Iam consilij dexteritate sublata, par est neque considerationem vllam rerum relinquere, neque inuestigationem vtilitatis. sed delirauit Sophocles, cum diceret:

--- quid quid quaritur,

Licet inuenire: neglectum vero, latet.

& rufus, cum res diuidens ait:

25 *Discenda disco, & inuenienda si qua sunt,
Inquiro: & si qua sunt, à diis peto.*

Quid enim inuenire aut discere possint homines, si fortuna omnia diriguntur? cuiusnã vrbis curia, cuius regis concilium non euertitur, si fortunæ omnia parent? cui nos cæcitate exprobramus, quia in eam cæci incidimus. Quæ vero non inacidamus, si consilij dexteritatem, quæ oculorum instar nobis est, abiicientes, cæcam vitæ ductricem eam nobis adsciscimus? Finge vero aliquem nostrum sic dicere: fortuna præstat vt videamus, non visus & oculi, quos luciferos Plauto dicit. fortuna audimus, non facultate ictum aeris apprehendente qui per aures ad cerebrum fertur. quis non vereatur hoc modo sensibus detrahere? Atqui visum, auditum, gustatum, olfactum, reliquas item corporis facultates atque partes natura nobis dedit, vt earum ministerio prudentia vteretur. Mens enim videt, mens audit: reliqua

Mentis &

cæca sunt, & surda. Et sicut sole sublato, quod ad reliqua sidera attinet, perpetuam haberemus noctem, vt Heraclerus dixit: ita præstare reliqui sensus non possent absq; mens esset & ratio, vt reliquis animalib. antei ret homo. Nunc quod potiores sumus, iisq; imperamus, non casu aut fortuito fit, sed Prometheus, id est rationis vsus, hoc efficit,

*Fœtus equorum, asinorumq; & bouum genus,
Munera rependens, quæ nostris laboribus
Subeant.---* vt est apud Aeschylum.

Hominis cum brutis collatio. Alioqui sui ortus natura & conditione pleraq; bruta sunt 10
quam nos meliore. alia enim cornibus armantur, dentibus
stimulis: & echinus, vt ait Empedocles,

Dorsum horret spinis, & spicula torquet acuta:
tum vero amicta sunt & suffulta squamis, villis, chelis, vngulis duris. Solus homo, vt ait Plato, nudus, inermis, sine 15
calceis & tegmine est à natura relictus.

Vnum sed hæc largita, emollit omnia:
scilicet rationis vsus & industriam ac prouidentiam.

Vires exiguae sunt mortalium.

Sed calliditate multiplici, 20

Belluas maris, & terrestria,

Et sub cælo solitantia

Omnia homo domat.

Nihil agilius equo, nihil velocius: sed hominibus currunt, ferox est animal canis, & iracundum: sed homines custodit, 25
multum carnis habet porcus, esu suauissimus est piscis: alimentum & obsonium homini sunt. Quid maius elephanto, quid ad spectum terribilius? verum & hic ludicrum hominis factum est, & spectaculum in solennibus conuentibus, discitque saltationes suas & choreas ac ingeniculare. At- 30
que hæc non inutiliter spectanda proponuntur. faciunt enim eo, vt discamus quo hominem attollat ratio, & quibus rebus eum superiorem faciat, vtq; omnia in suam redigat potestatem.

Non etenim pugiles, luctatoresve profecto 35

Inuicti sumus, aut cursu contendere digni:

*Odyss. 9,
246.*

sed in his omnibus præstant nobis bruta. Peritia autem, memoria, sapientia & arte secundum Anaxagoram omnia quæ ipsa habent in nostros vertimus vsus fauos apud colligimus, lac mulgemus, & res brutorum nostro arbitratu agimus ac

mus ac ferimus: nihilq; hinc fortuna, omnia consilio & providentia geruntur. Enimvero in humanis rebus haud du-
 bie censentur etiam artificum opera, & fabricorū qui metalla *Artes for-*
 cudunt, qui domos ædificant, qui statuas faciunt. in quibus *tuna oppo-*
 nihil forte fortuna aut casu absolui videmus. utq; per pusillū *nit.*
 aliquid fortuna interdum architecto aut mulcibero cōmo-
 det, certe plurima & maxima opera ars seipsa contenta per-
 ficit. Hanc rem poeta sic declaravit,

10 *Ite in viam nunc omnis ar iscum tribus,
 Qui filiam truces oculis notam Iouis,
 Colitis cistas gerentes Erganam sacras.*

est enim Ergane Opifex. Hanc itaque Mineruam operum
 præfectam, non fortunam patronam agnoscunt artes. Fe-
 runt quendam, cum equum cæteras ad partes quod atine-
 15 bat lineis & coloribus probe expressisset, spumam tantum
 quæ fræno concusso cum anhelitu efflabatur, non ita pin-
 xisset ut sibi satis faceret, itaque sæpius delevisset, & denuo
 conatus esset perficere, ad extremum præ ira spongiam ut
 erat plena pigmentorum in tabulam coniecisse: eamque
 20 non sine miraculo operi id quod desiderabatur addidisse.
 hoc vnum fortunæ artificiosum facinus narratur. Cæte-
 rum artifices regulis, amullibus, mensuris ac numeris ubiq;
 vtuntur, ne quis casui locus in opere relinquatur. Et quidē
 ipsæ artes parvæ quædam appellantur prudentiæ, aut riuu-
 25 li potius prudentiæ, & fragmenta quædam vsibus vitæ no-
 stræ inspersa: quod ignis Promethei ænigma innuit, hinc
 inde dispersus. sic enim prudentiæ etiam particulæ quædā
 in minuta frustra diuisæ in ordines sunt redactæ. Mirum ita-
 que sit, eum artes ut suum finem consequantur nihil indi-
 30 geant fortunæ opera, artem omnium maximam & perfe-
 ctissimam, quæ summam humanæ gloriæ & officij conti-
 net, nullam esse. Est quædam in intendendis remittendis-
 que fidibus prudentia, quæ musica dicitur: est in apparan-
 dis cibis, quæ culinaria: est in lauandis vestibus, quæ fullo-
 35 num. tum pueros docemus se induere vestibus & calceis,
 dextraque cibum capere, læua panem tenere: quod ne hæc
 quidem ipsa fortuito fiant, sed attentione & peritia opus
 habeant. maxima verò & ad felicitatem præcipue facien-
 tia dicemus non adhibere prudentiam, non rationis vsum
 & providentiam? Atqui nemo terram aqua madefaciens

discedit, vltro & fortunę opera lateres inde exituros cęsens. neq; quisquam lanis & corio partis sedet fortunam precās vt vestem sibi ex iis aut calceos efficiat. qui verō multum auri, argenti, mancipiorum collegerit, in aulis habitet multitoribus, atque ante se habeat lectulos sumtuosos & mensas: censebit ista, si absit prudentia, felicitatem fore, aut vitam beatam, doloris expertem, & mutationis securam? Interrogauit quidam reprehendendi animo Iphicratem, quis esset, cum neque atma, neque arcum, neq; cętras ferentium in ordine cęleretur. respondit, Eum se esse, qui hisce omnibus imperaret atque vteretur. Ita prudentia neque aurum est, neque argentum, neque gloria, neque valetudo, neque diuitię, neque robur, neque pulchritudo. quid ergo ea est? id quod recte vti his omnibus potest, ac singula horum iucunda facit, laudabilia, vtilia, cum sine hac inutilia, sterilia, damnosaq; sint, & molestiam ac dedecus possidenti ea adferant. Pręclare itaque Prometheus apud Hesiodum præcipit Epimetheo,

--- Ne munera magno

Ab Ioue missa Siquam accipiat, sed habere recuset: 20

nimirum de fortunę bonis & externis loquens: petinde ac si musicę ignarum canere fistula, aut recitare indoctum, aut equitare ignarum equi gubernandi veteret: ita eum hortās ne magistratum gerat cum imprudens sit, nēve sit diues, animo præditus illiberali, nēve vxorem ducat, sub eius futuris imperio. Non enim duntaxat res secundę indigno oblata occasione stultis exhibent malorum consiliorum, vt Demosthenes dixit: sed & prosperitas merito maior in prudentibus calamitatum ansa & origo est.

Prudentia quid.

PLVTARCHI DE VIRTUTE

& Vitio, libellus.

VESTES hominem videntur calefacere, cum quidem ipsę calorem non adferant, sua natura frigidę: (vnde etiam sæpe in æstu aut febris vestes subinde mutamus corporis refrigerandi gratia) sed calorem qui ex hominis editur corpore, vestes corpori adhibita continent atq; comprimunt, inclusumq; corpori nō patiuntur dissipari. Idem in rebus error multos decipi-